

AUCTARIUM.

CONCIO I.

VERÆ PRUDENTIÆ VARIA DICTAMINA A VILlico INI-
QUITATIS ACCEPTA.

I. Actiones non præcipiendæ, sed cum consilio in-
choandæ. — II. In peractas res facienda reflexio. —
III. Ratio habenda famæ, seu boni nominis. — IV.
Ante iudicium paranda justitia. — V. Non depo-
nenda, quibus pugnandum, arma. — VI. Suo malo
doctus quisque cautior fiat. — VII. Omnibus deper-
ditis cælum saltem nobis intuendum.

THEMA.

Quid faciam? Luc. XVI.

Docturæ Jeremiam Deus verba sapientiæ,
quorsum putatis prophetam ablegavit? Num in
civitatem Abelam, doctorum academia floren-
tem? Minime. Num ad aulas principum? Nequa-
quam. Num ad prophetas et videntes? Neuti-
quam. Num ad sacerdotes et legisperitos? Nihil
minus; sed ad domum figuli ipsum ablegavit.
Ita enim Jerem. cap. VIII. *Descendes in domum fi-
guli, et ibi audies verba mea.* Et quid ibi didicit?
Vidit luteum vas fingi manu figuli; quod, quia ad
mentem ejus male formatum erat, a figulo dissi-
patum et reiectum est in eam, quæ placebat, for-
mam. Ita propheta a figulo didicit verba Dei: di-
didit sapientiam. Videtur etiam Christus Dominus
ablegare nos in hodierno evangelio ad discen-
dam veram prudentiam. Et quorsum ablegat?
Non ad doctores et prophetas, non ad sanctos
et justos, sed ad villicum iniquitatis, velut ad
magistrum veræ prudentiæ. Tametsi enim et
ipse primo quidem malum effinxit vasculum,
malum, inquam, villicum et dispensatorem do-
mini sui, ideoque dissipatus est et ab officio de-
positus; postea tamen edoctus malo suo, vas
aliud effinxit, quando vitæ et famæ suæ sapien-
tius prospicere, et parare sibi amicos cœpit, a
quibus reciperetur tempore senectutis suæ. Ad
hunc igitur ablegati discamus, auditores, vel
ab homine rustico prudentiam. Quid vero ille
docet? Audiamus.

I. Actiones tuas non præcipita, sed cum consi-
lio aggredere, uti docet villicus quando ait: *Quid
faciam?* Tria enim sibi proponit media, et ex illis
eligit quod sibi videbatur optimum. Ferdinandus
dux Bavarie monetam eudit, in qua videba-
tur prudentia, specie virginis, delphino insi-

dens, et una manu bilanciæ tenens, gerensque
pro symbolo tria verba: *Cognosce, elige, matura.*
Virgo videbatur dicere: *Cognosce*; bilanx: *Elige*;
delphinus sua agilitate: *Matura*, Caussinus, in
aula, lib. III. s. XVI. Atque hi tres sunt primarii
prudentiæ actus; consilium, iudicium et impe-
rium.

Consilium, ut noris quid aggrediaris, num
tibi expediat, an noceat; de quo Ecclesiastici
XXXII. § IV. dicitur: *Fili mi, sine consilio nihil
facias, et post factum non pœnitebit.*

Judicium, ut media et viam disquiras, qua
ad id quo tendis, pervenias; ut si castitatem
ambias, labores indesinenter studium littera-
rium, oculorum continentiam, fugam pravæ
societatis et familiaritatis mulierum, orationis
studium, castigationem corporis, sacramentorum
usum, Dei omnipræsents cogitationem eligas et
frequentes.

Imperium, ut strenue et studiose exsequaris
quod faciendum sane iudicasti. Hæc tria qui
adhibuerit, prudentiæ laudem obtinebit quamvis
res successum non habeat, quia forte Deus aliter
vult, vel dæmonum negotium intervortit, etc.
Contra, qui hæc omiserit, male sibi consulit;
ut si matrimonium eligat, nec cogitet an moribus
sponsæ et refectionem corporis, sacramentorum
usum, Dei omnipræsents cogitationem eligas et
frequentes.

II. Post actiones tuas peractas reflecte in eas,
et vide quomodo peregeris. Id docet villicus,
quando accersivit debitores domini sui, et quan-
tum deberent examinavit. Optime ipse Dominus
Deus, quando singula opera sua primo singula-
tim, et postremo omnia simul inspexit, et ad ea
se reflectens: *Vidit quod essent bona*, Genes. II.
Non egebat Deus illa reflexione, quia in operibus
suis errare non poterat: inducitur tamen a
Moysæ velut inspector operum suorum propter
nos, qui in nostris actionibus sæpissime erramus.
Itaque prudentia dictat, ut homo crebro per
examen conscientie sua opera inspiciat an recte
et in Deo facta sint. Ita facere videntur: « Pic-
tores, ait Plutarchus, lib. de cohibenda ira, qui
opera sua priusquam ea absolvant, per inter-
valla temporis contemplantur: ita enim, abducto
ab iis paulisper visu, sæpius iudicium revocantes,
etiam exigua discrimina observando attingunt,
etc. » Haud aliter in iis quæ operamur, quando-
que retrahere manum de tabula, seu opere,

oportet, contemplantes quæ fecimus, num bene
an male nobis cesserint, et qui emendari queant.
Ita olim gentilis ille Hierocles jubebat: « Hic volo,
inquiens, omnia præcepta, quæ prius Pythagoras
præscripsit, quasi in unum fascem comportes,
ut in ea tamquam in divina lege intuens, in
mentis tuæ interno velut tribunali, eorum quæ
bene vel male gesta sunt, examen facias, » apud
Stobæum, serm. III.

III. Attende ad tuam famam, et quid alii de te
sentiant, inquire. Defecit in hoc villicus ante
amotionem suam; id enim si fecisset, cum jam
diffamari de mala fide cœpit, utique cautior
factus esset, et rem domini sui non dissipasset:
postea tamen suo malo doctus, rationem famæ
suæ habuit, cum mendicare erubuit. Dictat
igitur prudentia non pro nihilo habere quid de
nobis alii dicant; quinimo maximi id facere.
Docuit hoc Christus, quando interrogavit disci-
pulos suos, quid de ipso dicerent homines, Matth.
XVI. Fieri communiter solet, ut errores nostros
alii accuratius perspiciant quam nos ipsi. Itaque
ex aliis intelligere potes qualis ipse sis. Si malum
quid de te loquantur, et tu verum id reprehendas,
corrigere vitam: si falsum esse noris, serviet tibi
ad meritum et majorem cautelam, ut ne talis fias,
qualis esse traduceris. Idem suadet et Plutarchus,
loco citato de cohib. ira, ubi allatæ pictorum
similitudini subdit: « Quandoquidem non licet,
ut aliquamdiu a nobis ipsi digrediamur, nostrine
sentiendi faciamus aliquam intercapedinem,
(quod ipsum efficit potissimum, ut sui quisque
prior sit, quam aliorum iudex) proximum est ut
interdum amicos conveniamus, iisque præbea-
mus nos considerandos? Non an celeriter conse-
nuerimus, aut corpus melius pejuse sit affectum:
sed an moribus nostris tempus boni aliquid ad-
diderit, aut vitii advenerit. » Laudat hoc nomen
B. Petrus Damiani, epist. XII. ad Godifredum du-
cem, lib. VII. ep. Hugonem Tusciæ marchionem,
quod subinde solus, vel uno contentus assecla
adjunxerit se agricolis et opilionibus sibi sub-
jectis et interrogavit quid de marchione, domino
suo, ipsi loquerentur et sentirent. Cujus etiam
sanissimi consilii admonuit B. Jordanus, Domi-
nicorum generalis magister, Fridericum impe-
ratorem in colloquio familiari, dicens: « Pluri-
mum, Cæsar, miratus sum, quod abs te minime
de his quæ dicuntur per diversas provincias,
fueris interrogatus, cum scias nos continue per
omnem fere christianitatem divagari, et qui ru-
mores audiuntur, quæ de te fama percurrat.
Respondente Cæsare, se habere cursores, vere-
darios per orbem terrarum, et in curiis princi-
pum, ex quibus cognoscere, ac omnia quæ fiunt

adamussim, scire posset, dixit Jordanus: Christus
orbis terrarum Dominus, licet omnia, adhuc in
humanis agens, sciret, tamen a discipulis de se
quærebat dicens: Quem dicunt homines esse
Filium hominis? Tu quidem imperator homo
es, et multa quæ de te dicuntur ignoras, quorum
scientia tibi imperioque tuo plurimum condu-
ceret. Fertur enim per provincias, etc. » Tum
recenset ei non pauca, quæ in ipso vulgus repre-
hendit, auctore Leandro Alberto, in vita B. Jor-
dani, apud Surium, 13. febr.

IV. *Ante iudicium para justitiam tibi*, Ecclesiastici
cap. XVIII. Docemur hoc a villico, qui videns ab
officio sese deponendum, et ad stipem redigen-
dum, adversus eam providit sibi de bonis amicis,
sub quorum præsidio se conservaret. Pagurus,
canceri genus, tamdiu se in antro continet, donec,
vetere exutus testa, novam duriorum induit; hoc
præsidio armatus, latebris, quas verno tempore
incolerat, relictis egreditur, et novis aculeis in
novo tergo rigescens, adversarios contemnit,
quos prius declinabat, Caussinus, in symb. lib.
VIII. cap. LVII. ex Junio in adag. Cancerum hunc
imitati sunt apostoli, qui post ascensionem Do-
mini latuerunt in una domo, velut adhuc iner-
mes, usque ad Spiritus sancti adventum, cujus
robore armati demum prodierunt, et mundum
sceleribus contaminatum invaserunt, feliciterque
subjugarunt. Noluit autem Saul emittere Davidem
ad singulare certamen, nisi armis suis bene
communitum: sed quia David pluris aestimavit
arma sibi a parente suo tradita, baculum et
fundam, quibus et magis assuetus erat, ideo
cum illis gloriosam obtinuit victoriam, I. Reg.
XVII. Dictat igitur prudentia, ne, sine debita ar-
matura, certamina vel alia discrimina adoria-
mur; ne disputemus cum hæreticis, nisi in fide
orthodoxa propugnanda bene fundati; ne in con-
flictus periculosos, conversationem cum pravis
sociis, mulieribus, etc. temere nos ingeramus;
denique ne ad mortis, quæ a villicatione nos
deponet, ultimum certamen, sine armorum spi-
ritualium, pœnitentiæ, eucharistiæ, extremæ
unctionis præsidio ulla ratione descendamus.

V. Non temere te exarma iis, quibus tibi pu-
gnandum armis. Id sane villicus fecit, quando,
audita exauctorationis suæ sententia, non statim
tradidit hero syngraphas debitorum ipsius, sed
retinuit, et prius obtulit debitoribus, ut inde ali-
quid delerent, et ipse per hanc benevolentiam
sibi in futurum prospiceret: *Accipe*, inquit, *cau-
tionem tuam, et scribe quinquaginta: tu scribe oc-
toginta.* Dictat et hoc prudentia, ut arma non
abicias, quibus te defendere debes. Antigonus
rex, bellum gerens contre Eumenem Cardianum,

misit legatos ad Macedones, ut Eumenem ducem exercitus sui desererent, cum magnificis promissis. Macedones vero legatis minabantur: ideoque ab Eumene superveniente laudati sunt hoc apologo: Leonem amantem virginis contulisse cum patre puellæ de nuptiis: patrem respondisse, quemadmodum paratus quidem sit ad puellam concedendam, formidare autem leonis unguis et dentes, ne quando contractis nuptiis ex aliqua causa exacerbatus, belluine se gereret cum puella. Spondit ergo leo se abjecturum unguis et dentes; quod cum vidisset pater baculo erepto, leonem facile interemit. Nil aliud moliri Antigonum, eoque promissiones extendere, donec exercitu potiat, atque ita de ducibus pœnas sumat, Diodor. I. X. Astus hic etiam dæmonis est, unum hoc percutientis, ut spiritualibus te præsiidiis, quasi unguibus et dentibus exarmes, ut preces consuetas et examen conscientiæ quotidianum oblivioni tradas, ut cultum B. Virginis intermittas, ut hebdomadariae aut menstruæ exomologesi valedicas, ut alia pia tibi solita exercitia neglectui habeas; his enim armis sepositis, facile te supplantabit ac conficiet. Mirum hujus rei exemplum refertur in prato spirit. libello approbato a Concilio Nicæno II. de quodam incluso in monte Olivarum, vehementer impugnato ab Asmodæo, fornicationis spiritu, qui propterea cum dæmone expostulans dixit: « Quamdiu non dimittis me? Recede jam a me, qui tecum consenuisti. Apparuit autem ei dæmon visibiliter dicens: Jura mihi, quia nemini dices quæ tibi dicturus sum, et te non amplius oppugnabo. Juravitque illi senex dicens: Per inhabitantem in altissimis nulli dicam quæ mihi dixeris. Tunc ait illi dæmon: Noli adorare hanc imaginem, et ultra te non impugnabo. Habebat autem hæc imago expressam figuram dominæ nostræ sanctæ Dei Genitricis Mariæ, ferentem Dominum nostrum Jesum Christum. Ait inclusus dæmoni: Dimitte me ut deliberem. In crastinum autem hoc significavit ipsi abbati Theodoro Eliotæ, tunc habitanti in laura Pharan, narravitque illi omnia. Senex autem ait incluso: Vere, domine abba, illus es, quia jurasti dæmoni. Verumtamen bene fecisti hoc revelans. Expedit autem tibi nullum in illa urbe lupanar omittere quod non ingrediaris, quam ut neques te adorare Deum et Dominum nostrum Jesum Christum cum Matre sua. Confirmatum igitur et corroboratum pluribus verbis reliquit illum in loco suo. Apparuit ergo dæmon incluso rursus dicens: Quid est hoc, pessime senex? Nonne tu jurasti mihi, quia id nemini dices? Et quare dixisti ei, qui venit ad te? Dico tibi, quia ut periturus in die judicii

judicaberis. Respondit inclusus, dicens: Scio quidem quia juravi; verumtamen Dominum et creatorem meum adorabo, tibi autem non obediam. »

VI. Tuo aut alieno malo edoctus, cautior esto in posterum. Documentum etiam hoc a villico trahimus, qui prius inconsideratus rem familiarem domini sui pessime administravit: quod ubi male sibi cessisse, et dejectionem ab officio vidit; tum aperuit oculos, et: *Quid faciam?* inquit, adeoque in angustias redactus, ex improvido œconomo providus fieri cepit, de victu et domicilio belle sibi prospiciens, ex bonis heri sui, quem cogitabat parum de rebus suis sollicitum, parum etiam damni censurum, si vitæ necessaria inde sibi quæreret. Prudentis igitur est suo, vel alieno etiam errore, sapere, ne in posterum impingat in eundem vel similem scopulum. *Quemadmodum enim cicatrix admonet cavendum esse vulnus, ita memoria præteritorum malorum reddit cautiore,* inquit Plutarchus, in moralibus. Hanc ob causam Moyses loca ea, in quibus populus Hebræorum graviter offendit Deum, et propterea plexus fuit, in cautelam ipsorum et aliorum, monumento aliquo notavit, uti ad petram Horeb, ubi populus murmuravit; locum enim illum appellavit *massa* hoc est, *tentationem*; quia tentaverunt Deum, Exod. XVII. Rursum, quando murmurarunt ob laborem itineris, et propterea igne divinitus immisso castigati sunt, appellavit locum *incensionem*, Numer. XI. Iterum, quando impetratas carnes intemperanter devorarunt, ideoque rursus igne correpti fuerunt, appellavit locum *sepulera concupiscentiæ*, ibid. quo nimirum ex his scopulis, et quasi suppliciorum locis publice erectis (quo modo et fine eriguntur rotæ et patibula) cautiore redditi, non impingerent amplius tam illi quam alii. *Callidus* (h. e. prudens) *vidit malum, et abscondit se*, inquit Sap., Prov. XXII. § III. q. d. prudens videt ubi impegit vel ipse vel alii, et inde cautior factus, cavet et abscondit se. Tradit Albertus Magnus, de animal. in serpent. si quis serpentem occidat et comburat, vel etiam in palum suspendat, ejus nidore et fetore percepto, fugere a loco reliquos serpentes, quasi metuentes ne idem sibi contingat. Quinetiam aliæ omnes bestię devitant loca in quibus læsæ; laqueos et hamos, quibus feræ captæ fuerunt. Et hoc non faciat homo? Toties ebrietate sua verberatus, vinum non caveat, etc.?

VII. Omnia si perdas, domum tibi saltem seu tabernaculum æternum, ad quod te recipias, prospicere non negligas. Præbet hoc prudentissimum consilium etiam villicus, qui, cum

advertit omnibus se spoliandum, adeoque sua pessum ire, ad unam rem attendit, ut ea non privaretur, domo scilicet, in quam velut in asylum, sese reciperet, ejectus a suo domino. Hanc vero domum, qualis esse debeat, Christus exponit, cum ait: *Ut recipiant vos in æterna tabernacula.* Quidquid ergo in mundo tibi contingat, quidquid boni auferatur, quidquid mali inferatur; unum hic observa, ut domum tibi in cælo præparatam habeas, de qua apostolus, II. Corinth. V. cum cap. præcedente præmississet ferendas imperterrito animo omnes tribulationes, subdit: « Scimus enim quoniam si terrestri domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cælis. » Atque hoc est in quo David omnem spem suam collocavit, Psal. XXVI. dicens: *Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.* In quem locum S. Augustinus scribit: « Quæ est illa una? Ut inhabitem in domo Domini omnes dies vitæ meæ. Hæc est una: domus enim ea dicitur, ubi semper manebimus. In ista peregrinatione dicitur domus, sed proprie tabernaculum appellatur; tabernaculum peregrinantium, et quodammodo *militantium est, etc.* Porro sub eadem particula intelliguntur omnia ea, quæ ad beatam illam domum consequendam necessaria sunt, uti fides, spes, charitas, et similia dona supernaturalia. » « Serpens, inquit D. Chrysostomus, homil. XXXIII. in Matth. totum seipsum tradit, nec admodum curat si corpus incidit, donec caput suum integrum servet. Eodem tu quoque modo, præter fidem, cætera perdere non cures. Profundas universam tuam pecuniam, tradas corpus, vitæ ipsi, si opus est, minime parcas, dummodo fidem serves, quæ caput et radix est: qua servata, etiamsi omnia perdas, tamen rursus majori cum magnificentia recuperabis. » Summus ille sacerdos Heli, acceptam in prælio Hebræorum cladem, sine magna animi consternatione audiit, fugisse Israelem coram Philistiim, ruinam magnam factam esse in populo, insuper et duos filios suos in eodem conflictu occubuisse, nihil super his commotus: at ubi dictum est, etiam arcam Dei captam esse, ibi correptus, dolore, cecidit de sella retrorsum, et, fractis cervicibus, mortuus est, I. Reg. IV. Ita viri sapientes, temporalia damna facile ferunt, sed spiritualia ferre nequeunt sine animi quasi deliquo et ingenti dolore. Parum illis est per peccatum grave perdidisse bona fortunæ, læsisse corporis valetudinem, perdidisse famam, et incidisse in infamiam, perdidisse gratiam

principum: illud unum eos cruciat, perdidisse gratiam Dei, adeoque etiam cælum. Agnovit hoc, sero licet, prodigus filius, postquam in se reversus est. Non enim dolorem prætulit, quod perdidit substantiam suam: non quod ad haram compulsus sit, non quod paterna hæreditate exciderit; sed quod peccarit in cælum et patrem suum, Luc. XV. Igitur et nos, auditores, discamus ab hoc villico providere nobis ante omnia, ut habeamus amicum Deum, in cujus æterna tabernacula recipi possimus, cum e mundo ejiciemur. Omnia si perdamus, caput conservemus, fidem catholicam charitate informatam. Omnia si perdamus, arcam saltem ne perdamus, cæleste, inquam, tabernaculum, in quod, cum defecerimus, recipi mereamur.

CONCIO II.

PRUDENTIA FILIORUM HUIUS SÆCULI, SEU CARNALIS, QUALIS.

I. Prudentia carnis docet præsentia futuris, temporalia æternis præferre. — II. Ad commoda sua attendit, non ad impendentia mala. — III. Novit comparare sibi terrena, non cælestia bona. — IV. Adhibet quævis media ad finem suum, sive honesta, sive inhonesta. — V. Bona externa præfert internis. — VI. Aliis scit consulere, non sibi. — VII. Novit omnia eludere.

THEMA.

Filii hujus sæculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt. Luc. XVI.

Veteres eleganti apologo introduxerunt colloquentes inter se bombycem et araneam, non sine utili morum informatione. Aranea querebatur, quod in suis telis mira et operosa industria atque ingenio pertendens, diu noctuque laborans se evisceraret, viresque exhauriret, ut operi suo materiam necessariam subministraret: interim quoque vilissimo cibo sese sustentaret; et tamen adeo nullo fructu, ut, postquam telæ suæ supremam imposuit manum, plerumque ex ancillis una omnium abjectissima, scopis arreptis totum ejus opus et structuram evertat, adeoque in momento multarum laborem horarum destruat. E contra vero bombyx domi suæ in summa quiete residens, parum aliquid sileat, nunquam foras prodeat, sed sua se domo includat; et tamen ejus opus in tanta æstimatione sit, ut ad regum aulas ascendat; interim etiam in ædibus delicatissime nutriatur et habeatur. Verum huic querelæ bombyx occurrit, mirum

id non esse, quia: Tu, aiebat araneæ, solummodo muscas capis, ego reges capio, et telis meis exorno. Exprimit hæc fabula maximum discrimen inter filios lucis, et filios tenebrarum, mundi sectatores. Eviscerant se hi, et miras excogitant artes atque industrias, quibus magni evadant, cum e contra illi tantam in operando industriam non adhibeant, nec tam solerti studio ad id incumbant: interim tamen Deo placeant, et ad cælum ascendant: cum illi in odio apud Deum sint, et post labores suos sine omni mercede ex hoc mundo exturbentur. Sed quæ hujus rei causa? Quia nimirum filii hujus sæculi suis illis industriis non nisi muscas quærent et venantur, filii vero lucis Deum et cælestia quærent. Vidimus alias quid istis dicet vera prudentia, videamus nunc quid illos prudentia iam doceat.

I. Prudentia carnis docet præsentia futuris, temporalia æternis præferenda esse. Oritur hoc hujus dogma ex defectu fideli et spei, quia futura æterna in cælo bona nulla esse credunt, vel consequi desperant. Erat hæc prudentia pene omnium philosophorum ethnicorum, de quibus S. Remigius, in cap. VIII. epist. ad Roman. ait: Philosophi definierunt prudentiam esse bona temporalia appetere, et mala temporalia cavere. Quæ prudentia, quia carnalis est, ideo generat mortem æternam: quoniam, dum bona præsentis vitæ omni aviditate desiderantur, et adversa pro Christi nomine vitantur, bona æternæ vitæ pro nihilo habentur. Porro in homine fideli hæc prudentia intoleranda plane stultitia est. Quis enim sapiens præferat terram cælo? Luteum hoc tabernaculum peregrinorum, imo carcerem vincitorum et stabulum servorum, in quo tam mali quam boni hospitantur, aulæ illi regis, in qua Deus habitat cum amicis suis? Quis fugacia et momentanea bona eligat præ æternis? Dicite enim mihi: Quis non mavult emere fundos stabiles quam res mobiles, cælestis paribus? Has enim auferre fures, illos minime possunt. Quis non homini noto ac fido potius committit bona sua, quam alicui ignoto et dubio? Quis facile struit domum, hortum aut palatium ad litus rapidi fluminis? Nonne vitemus passim arces quascumque minutissimas; ea de causa in summis montibus structas, ut contra prædones tutiores essent? Quid vero mundus nisi ejusmodi fluvius, aut verius, torrentis aliquis? Hic enim quasi lutulento profluvio mundans, defert secum divitias, honores, voluptates et alia hujusmodi bona terræ, eaque utramvis in ripam exonerat: huic pecuniam expuit, illuc honorem infert, alibi voluptates

relinquit. Sed quis credat huic torrenti? Increscet enim iterum cum minime expectatur, et hæc omnia, quæ ad margines expuit, rursum absorbebit, et ad alios fundos deferet. Nonne igitur præstet quærere sibi domum stabilem et bona sempiterna, quæ nullo infortunio subruere et tolli possunt? Quis porro cælum aspiciens, ejus soliditatem et stabilitatem non advertit? Quis terram considerans, inconstantiam et mutabilitatem ejus non deprehendit?

II. Ad commoda quidem sua attendit, eaque caute videt, sed futura sibi impendentia mala non prospicit. Declaratur hoc Æsopice cervæ fabula. Ea, cum nescio quo casu oculum unum perdidisset, alio acutum videns, bene quidem pastui prospexit, imminens tamen periculum non advertit. Nam, ut venatores a longe visos vitare posset, non in campos aut agros pabulatum ivit, sed ad ripas aquarum; et quidem ut sanum oculum ad terram qua venatores poterant accedere, cæcum vero ad flumina, unde nihil sibi metuebat, converteret. Quis eam non secure pabulari diceret? Verum secus accidit: dum enim a terra nihil metuit, venator præternavigans cervam prope litus secure pastam conspicit, indeque emisso telo, sternit. Hunc in modum satis sibi cauta videtur esse carnis prudentia, cum tamen lusca sit; uno enim oculo ad sua quidem commoda gnæviter attendit, altero vero cæcato nocitura sibi non cavet. Talem habebat Pharaon, qui ad solam Hebræorum spoliandorum prædam attentus, dicebat: *Persequar et comprehendam, dividam spolia, et implebitur anima mea. Evaginabo gladium meum, et interficiet eos manus mea*, Exod. XV. Verum ad liquidum iter maris quod ingressus est, minime attendit: deletionem inimicorum intentavit, suam non prævidit. Balaam ille, illis etiam futura et pericula, quæ post mille annos erant subituri, vaticinari, et pessimum consilium dare regi Balac potuit: suum autem periculum et interitum non prævidit, quo in clade Ammonitarum periit, Numer. XXIV.

III. Lynx est ad terrena bona sibi comparanda, talpa ad cælestia. Oculata est hæc prudentia ad spolia sibi comparanda, sed non animam locupletandam. Alexander Judæorum rex, ob avaritiam, crudelitatemque suam Judæis invisus, Alexandram uxorem monuit, ut, cum egisset animam, Pharisæorum elementia et consilio usa confestim cadaver in publicum efferendum curaret; convocatisque illico civibus, quasi illorum faveret vindictæ, palam diceret se tradere Alexandrum jam defunctum dilaniandum civibus, ut quem in vivum nequissent, in

mortuum saltem iram justam exercerent. Alexandra secuta hoc consilium, cum per Phariseos, populo liberos suos Hyrcanum et Aristobulum commendasset, ut innocentes, impuberes, et nihil mali meritos, ita universæ multitudinis animum movit, ut non solum liberis regnoque salubriter consuluerit, verum etiam mariti funeri: cui regio more justa persolverunt, Josephus, lib. XV. capite XXIII. et XXIV. antiq. Novit hic astute providere regno filiis suis, quintem etiam corpori suo, ut cum pompa sepeliretur; nec interea tamen providit animæ de regno cælorum sibi parando. Ita plurimi etiam viri docti norunt partium litigantium causas agere, norunt e tribunalibus sese extricare, loculos suos ditare; pro animæ tamen salute procuranda juvare se nesciunt. « Noctuæ, inquit S. Basilius, hom. VIII. in hexamer. persimiles hominibus iis sunt, qui evanidæ et inanis sapientiæ studio incubuere. Nam, ut illius aspectus nocte quidem valet, sole autem illucescente non mediocriter obfuscatur et hebetescit; sic et istorum hominum mens acutissima quidem ad vanas res prospiciendas esse videtur, hebetissima vero caligineque referta ad ipsam lucem veram percipiendam evadit. » Et quid noctuæ in tenebris nisi prædas agunt, intercipiendo aviculas, et diripiendo nidos earum? Idem hoc studium est prudentum hujus sæculi.

IV. Ad finem suum consequendum quæcumque adhibet media, sive honesta sint sive inhonesta, modo proficua sint et utilia. Patuit hoc in Jeroboam, cui Deus tradidit decem tribus e Salomonis regno, quod ideo sciderat, quod ille adorasset deos alienos, ut ipsi insinuavit per Achaiam prophetam, III. Regum XI. vers. XXI. Et quid agit Jeroboam? Vidit rationem aliquam (sed ex prudentia carnis) satis efficacem ad stabiliendum sibi regnum, si avocaret populum a templo et itinere Jerosolymitano, Judæis per se molesto. Itaque, excogitato consilio, fecit duos vitulos aureos, et dixit eis: *Nolite ultra ascendere in Jerusalem: ecce dii tui Israel, etc.* stultum plane consilium: propter idololatriam enim audit scissum fuisse regnum Salomonis, et ipse per hanc eandem vult stabilire suum; seductus a prudentia carnis, quæ indicat habendam rationem status, et ad hunc firmandum omnia adhibenda media, sive honesta sive inhonesta sint; in sua potius ratione, quam in Deo confidens. Sed periit Jeroboam cum omni domo sua, per hanc stultam prudentiam. Talis omnino prudentia fuit hodierni villici, qui, ut inopiam fugeret, furtum pro medio adhibuit; itaque ut malum pœnæ vitaret, malum culpæ, elegit minori

malo mederi cum majori satagens; quod est stultissimum simul et impium. Vera enim prudentia dicat omnes potius pœnas, clades et cruciatus sustinendos, quam vel unum peccatum admittendum.

V. Bona externa præfert internis; honores, opes, voluptates, existimationem, rationem status, etc. virtuti et gratiæ Dei, carnem spiritui. Modo enim hic pene habemus, modo coram mundo magnificamus, jam contenta est; ea quæ non apparent, amini bona, parva ut nihili æstimat. Deut. XXI. præcepit Deus, v. XV. *Si habuerit homo uxores duas, unam dilectam, et alteram odiosam, genueritque ex eis liberos, volueritque substantiam inter filios suos dividere, non poterit filium dilectæ facere primogenitum, et præferre filio odiosæ.* Quem locum ita interpretatur B. Petrus Damiani, lib. VIII. ep. IX. « Duæ, inquit, hominis uxores virtus sunt et voluptas; livoris et odii inter se invicem, velut quadam zelotypia, dissidentes. Et voluptas quidem ad hanc viam, virtus ad æternam pertinet gloriam. Illa plane dilecta est, quia virum suum, hoc est, fragilem cujusque spiritum malesuada jucunditate demulcet; ista vero dicitur odiosa, quia per aretam et angustam vitam homines ire constituit, et aspera semper ac dura proponit. Sed filius odiosæ nobis primogenitus est, quia virtutum. Conditor noster nobis originaliter indidit: voluptas autem et quælibet carnalis illecebra ex vitio nostræ pravitatis emersit. Sed quia non est istius temporis, per singula verba hujus præcepti figuram enucleanter exponere, sufficiat hoc ad compendium dicere: Ut si non possumus dilectam uxorem, quæ nobis procul dubio noxia est, a thalami nostri societate repellere, studeamus saltem odiosam, quæ sobria est et honesta, in primogeniti dignitate præferre; quatenus, si nobis difficile est quantalamecumque saltem hujus vitæ dulcedinem non sentire, prærogetur tamen domini palma virtuti, relinquatur servitus voluptati. » Actus virtutis longe præstantior est quacumque voluptate, honore et divitiarum copia. Primogenitus igitur censeri et præferri illis debet: stabile enim est et solidum ac verum bonum: caro putrescit et perit una cum voluptate, opibus, honoribus. Cujus rei insigne documentum habemus in Christo; qui virtuti dumtaxat studuit atque incubuit, externa bona omnia sprexit ac fugit, contraria mundo via incedens, stabulum pro nativitate, vilem Nazareth viculum pro patria, crucis supplicium pro morte elegit. Unde S. Chrysostomus, hom. IX. in Matth. ait: « Nazareth erat viculus vilissimus: imo non ille tantummodo, sed cuncta